PHIA LIBRI DVO.

Primus literam, & eius ad uentitia amplectitur: secundus verò verborum latinitatem.

Autore Martino Stephano Grammatico & Philosopho.



PERPINIANI.
Apud Sansonem Arbus. 1590.

MARTINVS LECTOri nequam.

Cur ducis vultus, et non legis ista libenter?
Non tibi, sed paruis parua legenda dedi.

AD GERVNDAM VRbem de Martino præceptore charissimo,

Hieronymi Viuet patricij carmen.

Floruit hæc iam, iam quondam gratissima Martis:
Musas Martinus, qui optima quæque docet.

Approbatio.

DE mandato Illust. admodum & Reueren. Domini D. Iacobi Cassador, dei gratia Gerundensis Episcopi. Ego Antonius Garau doctor Theologus duos de Orthographia libros fructuosos ab Martino Stephano Gram. & Phi. editos legi & perlegi. In quibus plane nil nostræ fidei catholicæ aduersum reperi: imo vero illos eruditionis plenos aspexi, & ad pueros erudiendos & informandos vtiles iudicaui. Quare typis mandentur. Gerundæ vigesimo sexto Martij, Anno, 1590.

Approbat idem Garau Academiæ Cancellarius.

NOS Iacobus Cassador dei & sanctæ sedis Apostolicæ Gratia Episcopus Gerunden. visa approbatione prædicta concedimus licentiam prædicta imprimendi. Dat. in palatio nostro episcopali præsentis ciuitatis Gerundæ die & anno prædictis.

J. Eps Gerunden.

V. Raphael Moxius doctor medicus Gerundensis, & Academiæ Rector.

A

MAGNIFICENTISSIMIS, AC PLANE VIGILANTISSIMIS; CONSVLIBVS GERVNDENSIB, Martinus Stephanus Grammaticarum institutionū tertię classis Ludimagister.

S. P. D.

PROFECTO anni sex aguntur (patres Gerundensis Reipublicæ purpurati) qūum me in Emporium Gerundense Grāmaticarum institutionum, qui antecesserunt, & vos multorum clarissimorum vrbanorum, & scholasticorum precibus & rogi. vocastis, & recepistis: vt publice in tertia, bella & ornata classi bonos autores Tullium parentem in eo officiorum cāpo, & Virgilium poetarum magistrum interpretarer, in quibus felices & bonas horas ponerem & collocarem. Qūum recordor vetera, & mecum animo reluctor quanta me affecistis beneuolentia, & meum erga vos amorem reconciliastis: Tamen vestrorum beneficiorum largitas, & magnitudo me plurimum consolatur. Equidêm esset abiecti, & pernitiosi nil gratificari, neque de gratiarū actione aliquod argumentū, pignus gratulationis, et accepti beneficij gratulādi ante

oculos & in promptu ponere; & ipse beneficentiã Rei: Haberdã cogor, æquo animo indicare possim. Illud deinde persuasum apud me: quod in tanto rerum, annorum vsu, assidua, & quotidiana cogitatione parta, nulla posteris monumenta reliquissem: imo, vt alijs prodessem: cum à mortalitatis iniuria ergastulum hoc facilimo negotio vindicare potuissem. Tantundem subito pximo quodã calore institutum meum pertinax homo labefactaret, taxaret que: at videat (vt aiunt) oculis lyncis & patentibus mei scopi fixã in animo notionẽ, patimata videat, animi sensa intueatur, communes cõceptiones: sit tamen suorum commodorum oblitus, & ab omni mendatio alienus. Homini imputo & phanatico morbo laborãti (vt Horatius in de Arte poëtica) paucis respondebo exemplis quidem inposturam fœdabo: vt me ab illius desidia, & petulantia liberarẽ. Ego verò tantiis percuntandum censui: dum fatus pomorum sensim ac pedetentim vltrò crescerent, maturiores ederentur. Non statim, nunc exemplo mulier animal calamitosum, vrsa, leæna, dracœna, parturit: ista animalia gravida fiunt, tument: deniquè lambenda perficiunt, atque natura duce & imperatrice fœtus polire videantur. Quamquam intereà me prementem, stimularent, vrgerent, culparent, libere accusarent: tot enim annos, quot in enarrandis autoribus impeditus, nihil omninò cuderetur? tamen amicissimi Quintiliani consilium sequutus (iteratò dico)

quæ

quandiu visum conticui. Sed hoc hominum genus tanquam superuacuum in republica pulcherrimis muneribus fore utile existimarunt: & ut cum Marone loquar.

Et nati natorum & qui nascentur ab illis.

Enim verò sine fuco, neque oratio in eo erit officiosa, neque ieiuna, non arida, quod ipse in maximo angore sim mancipatus, & in hac parte meticulosus: tùm, cũ videam stylum & scribendi genus nostrum longè, latèque ab antiquo lepôre abhorrere. Si meum cum illo cõparem, quanta fiet dissimilitudo quantaque intercapedo. Quantûm interuallum (patres conscripti) inuenictis, si vultis epistolas longoly cum M. T Ciceronis epistolis, quas vocant ad familiares (relinquo politiores) comparare? Adeo Grammaticam, Eloquentiam, Philosophiam posteriores foedarunt, inquinarunt, corruperunt, vt ab illo primo fonte suum iter auocarent. Sape, sapissimeque perlego Marci illius Antonij Mureti opus variarum lectionum tersum & politum: at cum illo Auli Gellij Atticarum noctiũ, quod tãquam Archetypum imitatus, sequutus, maximam differentiam comperietis? Mihi credite (Reipublica senatores) nullum iuniorem Rhetorem, Historicũ, Philosophum qui nitorem illum, venustatem eam antiquorũ bonorum autorum finxerit. In contexẽda Historia Romana, Gracàue, qui s inuenerunt nostrates Valerio Maximo, Aulo Gelio, & Iulio Casare

 scientia

ſcientie militaris perfectiſſimo, perfectiores? Vbi ſunt noſtri ductores reperti? Ille floridus, ſuauis, perpolitus, vir eloquẽs, quid plura? Quùmque multos lectitauerim circumforaneos autores, & artifices Paulum Manutium vtriusque linguæ reparatorem, curioſum in multis, vidi, & Palmyrenũ diligentiſſimũ comperi. Forſan culpa vacabo Si in iſtis de Orthographia libris duobus peccero: præſertim cum homines tam eruditi nôn enargiam, nôn formã, nôn verborum magnitudinem lepôrem ſemper tenuerint, neque ego, qui vix ſum cum illis cõparandus, conferendus. Ego vero ſi non ſeruauero ad vnguẽ (aſtringo fidẽ) ſaltim attingã (vt aiunt) ſummis la[bi]ris. Cruciat, vexat, torquet animũ plurimum illud quod circumfertur de Orthographia: nũm Grammatice pars. Scaliger, Semperius: ille Gallus, iſte homo recens, non eſſe âutumat. His aduerſantur Probus Diomedes, Scaurus, Priſcianus, Nebriſſenſis Antonius, qui ab Italis regionibus bonas muſas, omnium applauſu ad hiſpanos pertulit. Nam quùm in corporibus quatuor ſint, quæ elementis quatuor proportione quadam reſpondeant: ignis, aër aqua, terra: vtraque bilis, ſanguis & pituita. Quandiu hæc æquabilitate quadam inter ſe permiſta ſunt valemus, tunc et vigemus. Quum eorum aliquod aut potentius aut impotentius, aut plus, aut minus iuſto eſt, aut ſe â commutatione & conſortio cæterorũ ſegregauit, conſectantur varia morborũ genera, tandem interimus neceſſẽ eſt: ita plane neque Grãmaticus

maticus erit suis numeris perfectus, nisi amnes q: rite calluerit. Nenpè imperfecta domus, quæ non omnibus tanquam ex partibus coalescit: perfectus non fuerit Grammaticus nisi vndequaque amplas quatuor sigillatim partes memoria grauiter retinuerit. Mihi plurimum arrisit, vt vobis quatuor senatoribus hos de Orthographia libros dicarem: ad vos enim tanquam ad sacram anchoram & veluti miles ad arcem, confugio. Duo in humana vita mortalium Reipublicæ maxime vtilia censuit diuinus Plato ille Philosophiæ paternæ sator et cultor, eam que perfectam fore putauit. Vt amicis & patriæ (quod fieri possit) nostrorum negotium impartiremur: nihil enim in hominum vita honestius, sit honorificentius nihil amabilibus, quàm aliquid elaborare, quod memoriam seruet, & vsum politicum, & publicum bonum augeat. Aliquandò in arenam descendi gladiator ego non sine sudore et puluere, dumtaxat Reipublicæ Gerūdensium astipularer. Vt iuxta illud Horatianum, debemus morti nos, nostraque, et Tullianum: ortus nostri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici. Ego quantum debeo vrbanis Gerundensibus, vniuersoque senatui: vix possem oratione ornata, copiosaque aperire, aut condecorare. Quantùm frugi, quantūque momenti in erudienda iuuentute et informanda, sat scio: ego tanquam expertus loquor. Non sum nescius, nec me latet, hanc disputationem me semel atque

m erudijsse, quanti euaserint discipuli quamqui mà mi, ipsimet indicabunt erunt testimonia fide digna et Comprobata. Dixi de Orthograpia non quæcunque poteram, neque enim epistola (quæ non debet vtramque manum implere) neque tempus, neque omnia in vnum locum congerenda, & fundenda: sed extropè infinita copia eorum, quæ dici possunt satis esse indicaui: quotidiè, vt spero, plura & meliora dicentur. Quocirca accipietis (Patres) primum de Orthographia librum, qui vim & naturam suo ambitu coaptat: tum secundum de latinitate, et verborum elegantia, et iste, quis sit quorundam vocabulorum amplitudinem et nitorem continebit. Istis enim argumentum fidei, et amoris mei vinculum testimonium perfectum et beneuolentie erga vos subligaculum mirabilitër comprobabo. Ex vestro musæo. Valete plurimum, statum, et Reipublicæ tranquillitatē amplificate. 3. nonis septēbris Anno.

1590.

DE ORTOGRAPHIA, ET VERBORVM LATINITATE

procœmium Autoris.

DISPVTATVRI ſumus de prima Grammaticæ parte, quam orthographiam appello, quæ dicenda ſunt, primo loco ponenda eſſe iudicaui: quæ à Cæſare Scaligero, à Talaeo (vt dicunt grammatici quidam) prima pars non ſit iudicanda: quia eſt peregrinà a grammaticæ partibus. Nos quidem omni grammaticorũ penu fama, & nomine famigerato, Probo, Capro, Priſciano, partem ſtabilimus, & primum fontem, & primum fundamentum. De iſta Orthographia hæc dicenda ſunt, quid ſit, quot forme ſiue partes: generalia, deinde ea quæ latepatent, tertio [illegible]n compotem affinitatem, & quæ literæ aſſociatæ ſint. Poſtremò nonullas præceptiones & canones numero paucos auſpicaturi ſumus. Quæ omnia breui epilogo ex probatiſsimorum grãmaticorum opinione de ſententia petita breuibus diſceptari conabimur.

CAP. I.

ORTHO



RTHOGRAPHIA (si Etymologiam cernimus, iuxta Diuum Isidorũ) recta scriptura est. Orthographia est recta scribendi ratio. Quemamodum est Grammaticæ pars perutilis, aut valde necessaria, quæ docet rectam & peritam pronuntiandi normam, quam prosodiam voco. Ita in Grammatica altera pars constare debet, quæ doceat rectam scribendi rationem. Huius duæ sunt partes, litera nempe altera verborum latinitas & periodorum castitas & membrorum distinctio. Si Peripateticorum methodum sequamur generalia, primo dicamus, deinde verò priuata & germana, quæ arctissimo vinculo associata sunt.

Opere pretiũ est in eo sollicitos habere animos ne in scribendo mutemus literas, & characteres: vbi perperam, & malè scribunt, & pronuntiant nostri Poætici, requien, dominun, famulorun, æternan; sed æternam, Dominorum, famulorum, & nonnulla tempora verborũ, nempè audiuissen, docuissen. Amplius accusandi sunt isti viri, qui literas mutant nempe, v, in, b: vt bolo, bolũtas, b[illegible] cum sit scribendum volo, voluntas, vita. Secundò ponderamus maximè ne in dictionibus addamus de nostra officina. Istud peccatum famigeratius est in adolescentia Grammaticorum, Philosophorũ, in quo enimuerò Oratores anxij sunt. Imperiti latinæ elegantie solent ita has dictiones exarare, escribere, escriptura, escriptor: cum scribere, scriptura, scriptor, effingamus. Tertiò quod sũmo pere cõsideram⁹ illud erit, vt Syllabas optime scindamus: in quo peccato errant, qui diphtongorum notionem penitus ignorant, & liquescentiam quarundam

rundam literarum. Dicũt enim a, uditor, a, udio, me, languor, æqu, us, & sexcenta alia errata: cum sit pronuntiandum auditor tribus Syllabis, langui dus tribus Syllabis, equus duabus meæ duabus. Quocirca hæc tria momenta multum æstimanda sunt, nempè non mutemus, non addamus de nostro, & optime Syllabas in dictionib⁹ scindamus. Deinde illud alterum maximè ad Orthographiã accedit, quod peritissimus Quintilianus declamatorum Magister, scriptum reliquit: pronuntian dum est, vt solemus scribere, & scribere vt pronũ tiamus. Quod argumentum comprobat multum Augustus Cæsar. Talæus in dubium vocauit: nos vero maximè ad tutelã Quintilianeã accedimus. Hoc vnum maxime laudo, vt quis pronuntiet, ita scribat literas & elementa. Quapropter obrogan dum est vitium Grammaticorum quorundam imperitorum qui, vitium sine sibillo, scientia, peritia, argumentatio pronuntiant male. Tunc cum sibillo pronuntiandum est, cum post, ti, sequitur vocalis; raro antẽ post, ci, pronuntiare solemus: vt iuditiũ & id genus, quę in hanc sententiã veniũt.

Inter probatos & in literarum studijs exercitatos, & quosdam sciolos, & senigrecos crudele certamen est et bellum infandum: quo pronunciandum sit, gn, multi peccant, qui pronuntiant, g, vt, c: ego vero ab illorum institutis & legibus maximo interuallo remotus sum. Omnis litera suã habet germanam pronuntiationem. Quocirca, t, plurimum abhorret d, & sic in alijs exemplis familiaribus. Adde huc, quia, n, liquida est. Quod si, g, pronuntianda vt g, pronutiandę sunt syllabæ in quibus inuenitur, g, & N, quemadmodum in

in nostro sermone hyspanio sunt proferende iste dictiones, minyo, senyor, canya, any. Siue scribas sengor, ang, canga.

Li, admodum maximè consistit laboriosa inter nostros, Professores Grāmaticæ, & probatos Poëtas: vnde nostri iuniores ansam accepêre. Num i, vocalis sit putanda an consona. Quocirca dubitarunt isti: num in his dictionib' Iesus, Hierico Hierusalem, sit vocalis an consona: hoc multum importat tenere: Quoniam peregrinam pronuntiationem facit. Nos vero probatissimorum virorum decretis nutriti solemus obseruare vtrumque pro libito qui pronuntiat has dictiones. Prestabilior sententia, & omnium grauis ea visa est semper, vt existimemus vocalem: quod constat i, locum habet (Præcepit Iesus): item hoc in loco pede dactylo coercet. Igitur, i, iuxta grauissimorum Grammaticorum vocalis putanda est.

I, expedita est & eius pronuntiatio recta & sana mēte stabilita, & quos vsus habeat ex doctissimorum Grammaticorum sententia petita: & quoniam u, inter munera familiaris est & associata de huiusmodi differamus. Quocirca. u, consona est his dictionibus vita, voluntas, volo, volucre. At vero in vocibus sursum, supra suus, tuus, vocalis iudicanda. Liquida est post q, hoc est, nec vocalis, nec consona putanda, quia, quatuor, quum temporis aduerbium : & de hoc argumento abunde satis libro quinto Antoniano, diximus. Post g, item liquescit in his vocibus languor, languidus: atuero gula, gulosus, ambiguus, irriguus nonliquæscit. Diphthongorum notio plurimum potest, eius imperium latissimas habet facultates.

Quocirca

... plurimum videtur breuissimè amplectamur. Diphthongus duplex sonus est (si latinam interpretationem cupis) alter horum magis eleuatur: alter verò ad ima tendit, & profundum locum postulat. Diphthongus ex consonãtibus non est: igitur erit duarum vocalium vnũ sonum efficientium legitima associatio: aut si latinum re recusas conglutinatio. Diphthongorum genera senario numero comprehẽsa sunt: quorum tria latina ae, oe, au: Cælum, Cæsar, Panætius: fœmina: Auditor, Audio: quia in vocibus latinis his periti vti solent: eu, eus, yi, euge, Euangelium. Panætius Ripheus, Arpyia: quia literis Gręcanicis abundê vti solemus. Illud cautè simulandum non est, nempè genitiuos, datiuos, nominatiuos, nominum primę inflectionis Diphthongo scribi solere. At nominatiuus Magdalenę & auferendi casu Anclise Diphthongo non scribuntur. Prę autem, vt pręsum, præsto Diphthongum est: at verò in his dictionibus non ita plane: premo precium, preces, interpretor. Precor. Hec de primo capite, in quo generalia diximus.

DE LITERARVM AFFINITATE *et perfecta associatione*

CAP II.



VONIAM similitudo interdum erroris causa consistit (vt philosophi probi tradunt) hac de causa de similitudine literarum & ampla affinitate hoc capite disceptandum esse non recusamus. Quæ associatæ

sunt

ſunt literæ hoc argumento compre...
Enimuerò literę,t,& D,C & S, q. & c, y Gręcani cum & i latinum magnam coniúctionem vſurpăt. Diligens in ſcribendo peritia forſan cespitauit illud, illud ſcribamus cum d,an cum, t,cum;d, pro nomina ſcribenda ſunt. Deinde caput, occiput, at coniunctio diſcretiua cum. t, ſcribamus. Poſtremo inquit à verbo inquio inquis cũ, t: Si relatiuũ eſt ſcribe interrogatiuũ litera,d, ſcribamus: iterũ ceſpitabunt in his dictionibus ſacerdos, ſolertia, ſurdus: num cum,S, aut cum, C: Cum. S. ſcribamus. Cælum Ciuitas,Cæſcitas,cerno litera,c,exaremus. C. & q, interdum animos perturbant benificus enim num cum litera,q; ſcribamus: ſed litera.C: quotidie non,c, ſed,q, inde quotidianus: magniloquus non,c, litera:ſed q. ſcribendum cenſeo. Difficile eſt admodum vaticinari in his dictionibus ſcribendi peritiam optimè aduerbium, p, ſcribamus,& nomen adiectiuum optimus optima optimum, non litera. b, vt plerique errant. Item obtineo, obtempero litera, b, & non p, exaremus. poſtremum, i, latinum,& y, Gręcum perturbare ſolent in his dictionibus Hieruſalem,Hieronimus,Vileta in dubium te ipſum vocabunt iſte affinitates literarum quas perpendendas eſſe in informanda iuuentute exiſtimaui.

CAP III. DE PRAECEPTIONIBVS Orthographiæ.



OC capite tertio præcepta & documenta reſtant, quorum potiſsimum & caput primum huiuſmodi eſt. Nomina virorum, mulierum, Deorum, Dearum, Nympharum : Panætius. Vir-

Virgilius, Dido, Anna, Iupiter, Neptunus, Apollo, Venus, Thalia: atque reuocare possumus Puerorum, Puellarum, Deorum, Satyricorum & cāpestrium nomina literis grandioribus scribamus Amplius late patet huiusmodi præceptio prima ad initia Epistolarum, librorum, Periodorum, & ad artium genera, & quasque scentias, & illorum partes, Exempli gratia Ego omni offitio, Quanquam te nomine negligentiæ, Caius Trebatius familiaris meus, Si ipsa Resp. tibi narrare posset, Quanquam te Marce filij, Tytire tupatulę (& carmino initia) quid faciat lætas segetes, Arma virumque cano, conticuere omnes, Post quam res Asiæ. Periodorum exempla passim occurrunt. At uerò artium & scientiarum hæc sunt nomina. Grāmatica Rhetorica, Logica, Dialectica, Philosophia, Medicina, Theologia, Iuscíuile, Ius canonicum, Astrologia, Musica, Perspectiua. Restant prouinciarum, Vrbium, Oppidorum, & scientiarum partes : Barcino, Gerunda, Perpinianum; Balagarium, Termini Italia, Germania, Gallia Hispania Bæthica. Insularum nomina. Sicilia, Sardinia, Baleares. Partes artium Inuentio judicium; Demonstratio & id genus, quæ in hanc veniunt sententiam, sunt notatu digna.

SECVNDVS CANON.

OMNIS vox merè latina, literis merè latinis exaranda est: omnis dictio Græca literis: omnis Hebraica, literis merè Hebraicis describēda.

TERTIVS CANON.

QVemadmodum natiua vocabula; eodem planè modo reperta ſcribenda ſunt: Natiua autem appello, quæ primitiua dicunt. Deriuata verò & deriuatiua reperta vocabula nominant, ſcientia & ſciens ſcitè, ſcribamus quemadmodum ſcio natiuum verbum iudicium cum, c: & natiuum precor, depingimus.

QVARTVS CANON.

QVemadmodum nominatiui caſus ſcribūtur ita gignens dans accuſans vocans, & caſus auferendi: nempè dihpthongus genitiui diphtgongui, datiuo diphthongo, accuſatiuo diphthongum, & ſiç de ſimilibus.

QVINTVS CANON.

HIC Canon plurimum conducit, & multum refert ad ſuperlatiua nomina depingenda: duplici enim ſs, quarum prima ſit maior ſecunda. Quocirca duplici ſs, ſcribenda ſunt iſta ſuperlatiua nomina, & his germana doctiſsimus, prudentiſsimus, ſapientiſsimus, candidiſsimus, breuiſsimus, amiciſsimus: omnia iſta geminata, ſs, ſcribere oportet. In hāc ſententiam cadunt iſta tenerrimus, pauperrimus, quæ duplici rr, ſcribamus.

SEXTVS CANON.


THemata verborum, hoc eſt tempora nonnulla in optatiuo, In ſubiunctiuo, In prçterito pluſquamperfecto infinitiui modi duplici ſs

ſcribi

ſcribito: exempli cauſa, amauiſſem, legiſſem, docuiſſem, audiuiſſem, amaſſe, audiuiſſe, legiſſe, & id genus familiaria.

SEPTIMVS CANON.

LAtè patet iſte Canon, & grauiſsima ſpacia conficit & curſus longiores habet, ſi amplectamur Etymologiam, ſi cõtemplamur mente, & lata cogitatione propartionem, vt Mathematici conferunt, quemadmodum ſcribimus vitium: italitium, & cum ſibillo. Quemadmodum ſcientia: ita peritia. Vt demonſtratio: ita ratiocinatio exaremus. Quocirca illa tria capita, vt potè generalia, & quæ patent latè affinitates literarum canones & præceptiones, poſtremò (in hac prima parte orthographiæ de litera). ſatis abunde & ſuper quæ ſatis ad Amuſsim (vt aiunt) amplexi ſumus.



LIBER SECVNDVS de Latinitate, & verborum Elegantia, &

Caput vnum.


RTHOGRAPHIA (prima Grammaticæ pars & fundamentum) duas sibi vendicat partes præstantissimas: altera est tota de litera, altera verò verborum elegantiâ, & candore quorundam vocabulorum. Hac tenus enodauimus primã partem: superest nunc & restat de latinitate vocuum. Nostri iuniores qui in Grammatica multum videntur pollere cespitare solent in quibusdam dictionibus exarandis: aut enim geminant literas, aut easdem mutant. Ad quod genus Grãmatistarum, pleno carmine satisfecit Horatius diligentissimus Poëta & varius. Grammatici certãt, adhuc sub iudice lis est. Arrisit mihi priscorum sententia, qui simplici videbantur scribere litera. Quocirca. Causa: & non caussa, litera: & non littera: & non littus. Casus: & non cassus. Quatuor, & quater aduerbium: et nõ quattuor, nec quatter. Mitto promitto demitto, & non mito simplici. Loquela, querella, & non querela, quanquam, & nõ quamquam, quicquid: & non quidquid: hæc & id genus alia vocabula ita scribere nolo puto. Neque alia est scribendi ratio & si cõtra clamant quidã facinorosi. Aut eni n scribendis pronuntiationẽ Rhetoricæ partẽ põderamus aut prosodiam. Ad duo huiusmodi capita non est, quod literas & elementa geminare queant. In hanc sententiam veniunt interualla quædã vocuum, ad quas si ponderamus pronuntiationem rectã & expeditã: profectô nulla est discrepantia nullumque in teruallum: at vero si scripturã, & Orthographiam probè calles, proculdubio lõgo interuallo discrepant. Aceruum enimuerô & multitudinẽ ponamus, nequando ce-

pitare

pitare possem? in recta ratione scribendi. At coniunctio discretiua est; ad praepositio. Haud aduerbiū negandi & sonat nō: aut coniunctio discretiua. Que coniunctio copulatiua: quę relatiuū qui quae quod. Quot aduerbi ūest numerandi: quod relatiuum nomen, interdum vero coniunctio causalis. Vis nomen est substantiuum: & interdum secunda persona huiusuerbi volo. Ceruus animal est in nemoribus abditum. Seruus famulum domesticum declarat, & qui hero & domino obtēperat. Amabo blandientis est interiectio: Interdum vero prima persona futuri temporis indicatiui modi. Hamo ablatiui casus est, & nomen substantiuū hamus hami; tamen saepius est prima persona verbi coniugationis primae sine aspiratione: Casus nominū quem admodum modi verborum, & tempora: at casus significat fortunam aduersam. Vitta oculorum obstaculum est ex linteo confectum: vita hominum viuere interdum rota siue beatum & foelicissimum, siue laboriosum & miserrimum. Sertus hominem corona laurea redimitum monstrat, Certus certa certum hominem de aliqua re & magistratu non ancipitem nec varium. Tempora pulsus hominum partim: partim vero tempus serenū caliginosum ue. Et quatuor anni partes praeclarè. Orae littora maris & fluuiorum: horae sunt ex horologio petitae. Ortus participium est, si mauis nomen adiectiuum, ortus, orta, ortum: hortus locus est politissimè paratus ad animos recreandos: hara locus est inquinatus inquo bestię incolunt: ara locus est pulcherrime paratus ad sacrificia & holocausta peragenda. Ne proibentis interiectio; ne aduerbium negantis fieri solet. Sepè lo-

cus clausus est & nomen substantiuum in auferen di casu. Sepè aduerbium temporis. Mihi: & non michi. Sed: & non set. hæc sunt & alia uocabula quæ poterunt in hanc sententiam uenire: hæc plu rimum ponderanda & amplectenda ad candorem latinæ linguæ comparandum & tuendum. Thesau rus masculini generis reperitur, & Thesaurũ neu tri generis. Cerebrum neutri generis, & qui di cunt Celebrum siue cerebro viuũt. Cætera cæte rum (si Diphthongo scribas) duas habet voces nenpe masculinam & fæmeninam: vt quorundam sententia cæterus: at non arridet plurimum. Abeo est ad locũ pergere: habeo idem est quod possi dere. Abitum supinã est at ibitum accusatiui ca sus vestitum Sig.t Monachorum. Ve idẽ est quod vel coniunctio disiunctiua: uæ interiectio minan tis. Cera apicularum est: sera Instrumentum est claudendi ostium. Ficus arborem & fructum deno tat: quemadmodum pinus apud candidos Autores. Oliua fructus est: olea arbor. Vua racemum: nux arborem & fructum. Cuniculus animal est: & Cuniculus Instrumẽtũ belli. Aries signũ cæle ste, Instrumẽtũ belli, & animal terrenũ Scorpio Instrumẽtũ belli: scorpius animal venenosũ est. Modo aduerbium preteritum perfectum amat. Dicimus namque modò scripsi, modo feci non modò scribo, nec modo facio dicendum. Palam omnibus in numero multitudinis: coram illo in numero vnitatis: & non coram omnibus. Similis huius ad mores pertinet: similis illi ad effigiem. In hanc veniũt sentẽtiam imago tua, imago tui: pars tua, pars tui: quæ omnia Erasmi ana sunt. Circiter ad numerum: vt milites circiter centum sunt: circum

ad locum,vt circum vrbem: circa ad tempus: vt circa quinta: neque huiusmodi perturbemus Circiter, circum, circa. In hanc igitur veniunt senten tiam ista postrema vocabula, nempe paucus pauca paucum ad numerum: vt vrbani pauci sunt & mi litas: paruus parua paruum, ad quantitatem mag nam, aut paruuã: videlicet iste mons paruus est, procerus, procera, precerum, idem est quod mag nus magna magnum: proceres magnates viri sunt, & ex clarissima familia nati. Laquearia, & non lacunaria. Ruminat, & non rumigat. Triceni de trescentis dicitur: trigeni de triginta, fædus fæ deris, vinculum pacis est: fædus, fæda, fædum res inquinata. Pudor pudoris ad verecundiam vergit Venustas venustatis mulieris est, pulcritudo antẽ virorum: formosus formosa formosum ad ordinẽ. Alter de duobus, alius de pluribus. Primus de plu ribus: prior de duobus. fides argumentum est cre dendi: fidium chordæ sũt lyre. Caro hominis est: carnes quibus vtimur, sunt comedendo & in pran dio. Pecus omne animal est præter hominem. Ar menta animalia sunt, quę in syluis vitam degunt. Iumenta animalia sunt domestica, & tota vrbana. Expectatur quod non dum venit, spectatur quod venit. Cõscribere multa scribere. Scribere semel scribere, iteratò nuntijs literas commendare. Le gere semel est: perlegere semel atque iterum. Di fferunt ista diligere, delegere, delegare. Hæc di- cenda videbantur de prima Orthographiæ parte & secuuda: hoc est, de litera & verborum elegan tia, qua potui ex Capro vetustissimo Gramatico, Agratio viro amplissimo breui peroratione col- lecta.

DE CONFORMATIONIBUS FRUCTUOSISSIMA

mationibus fructuosissima ponderatio Martini Stephani G. & Phi. Ad pueros Gerundenses.



VPEREM supra modum pueris omnibus frugem, & nostræ Academiæ vtilitatem vsu venire in lepidissimis musis comparandis: quia omnium optimum bonæ literæ componunt, malum, & perniciem calamitosi homines in pessimis artibus implicati erigunt, astruunt optimo iure. Videbantur profectò bonæ & suaues literæ (quæ florêre incipiunt) nutare his annis, & mensibus superioribus: quandoquidem imperio sima gistelli earum initia contaminauerant: docebant ipse lucri comparandi.

Dij superi talem terris auertite pestem:

At colligenda sunt arma, velaq; nostræ nauigationis periculosissimæ, & turbulentissmæ. Cùm enim meum animum tempore natalitio paululum ab occupationibus collegissem: venit in mentem mihi, quod iam pridem cogitaueram, & Barcinone docueram pueros optimæ indolis, de conformationibus aduestram ætatem tenellam imbuẽdam, & diligẽter incumbendum, lambendo duntaxat, esse putaui. Comprobo, & laudo Architectorum consuetudinem, qui quùm magnum aliquod opus ædificandum proponunt, & suscipiunt, non cadu

ca

ca, aut fragili materia: sed firmo solidoq; lapide fundamenta iacere præstituant: vt ita fundatum ædificium sine ruinæ metu, affabrè tandem ad culmen, & fastigium perducant. Et vos in Grammaticarum institutionum incunabilis ita segnes, & de vobis parum iudicantes animos tenebitis? planè non credam. Obtestor igitur vos (pueri Gerundenses) & quantum possum flagito & contendo, vt eam erudiendi viam amplecti velitis: animum à primo lapide (quod aiunt) excolite. Sic nunquàm inter morituram, aut dolendam gloriam, quæ est illustris meritorum fama peruagata, habebitis. quod laudo vt probo. Valete plurimum, & Martinum ludimagistrum adamate. Anno à Christo corporato, & carne tecto. 1590.

TABULA, ET OSTIUM AD conformationes.



Rticuli, siue notę simplices sunt tres, hic hæc hoc: vt hic dominus, hic seruus, hæc musa, prudentia, hoc templum, placamentum. Compositi verò articuli binario numero continentur, vt potè hic & hæc, hic & hæc & hoc; quemadmodum hic & hæc bos, latro, hic & hæc & hoc prudens, amans.

Conuenientia est duarum partium orationis declinabilium apta complexio. Conuenientię sunt tres, nec plures nec pauciores: quia tribus modis coaptantur voces orationis flexibiles: nam etsi mille copulentur inflexibiles vnquàm conformationem efficient. Aut nomen substantiuum cum ad-

iectiuo copulatur, pronomine, participio, vel adiectiuo gerundio, aut cũ verbo, aut cum relatiuo. Quare substantiui & adiectiui prima, nominis & verbi secunda, relatiui & antecedentis tertia. Cognoscimus substantiui & adiectiui conuenientiam: quia in ea est substantiuum & adiectiuum : vt Magister doctus. Nominis & verbi : quia est nomen & verbum: nempè Magister docet: Relatiui & antecedentis : quia relatiuum & antecedens reperitur : scilicet Magister qui.

DE SVBSTANTIVI ET ADIECtiui conformatione in numero vnitatis. Cap. I.



SVBSTANTIVVM & Adiectiuum tribus accidentibus conformant, nempè genere, numero, & casu. Conformare in genere est, quod ambo sint eiusdem generis : vt doctus magister, mulier pudica, iumentum optimum: disconuenire contra fit. Conuenire in numero, quod ambo sint eiusdẽ numeri: disconuenire contra. Conuenire in casu, quod ambo sint eiusdem casus : dissentire contra fiet. Magister doctus consentiunt in omnibus: vt potè genere, numero & casu, & mulier pudica, atq; iumentum optimum. Magister docta consentiunt in numero & casu, & disconueniunt in genere tantum. Idem dicendum est in tertia voce Magister doctum.

IN GENITIVO VNITAtis numeri.


N gignendi casu sunt istæ voces nempe docti, doctæ, docti: & distinguendum, an de prima, aut de tertia. De prima verò consentiunt in genere & numero, & disconueniunt in casu tantum. De secunda (magister doctæ) consentiunt in numero, & disconueniunt in genere & casu. Idē planè de tertia putandum. Et quemadmodum in genitiuo: ita in dandi, & reliquis casibus in vnitatis nnmero, & in qualibet voce masculina, fœmenina, & neutra iudicandum.

IN NVMERO MVLTITVDINIS.


N nominandi casu huius numeri sunt tres voces docti, doctæ, docta. Magister docti cōsentiūt in genere & casu, & discrepant numero tantum. Magister doctæ conforant in casu duntaxat, & discrepant in genere & numero. Magister docta in tertia par est iuditium & sententia, Et admonendos esse magistros, & pedagogos in animum induxi, ne excrucient ingenia adolescentulorum distinguendo, tum in singulari: cum plurali numero.

IN GENITIVO NVMERI multitudinis.


Res sunt voces in genitiuo casu, doctorum, doctarum, doctorum. Magister doctorum de prima voce conueniunt in genere tantum, & disconueniunt in numero & casu. Magister doctarum in omnibus discrepant: idem judicandū

de

de tertia voce magister doctorum. Sic efficiemus in dandi, accusandi, vocandi auferendi casibus.

HONORIFICA ANNOTATIO.

QVEMADMODVM in voce masculina substantiuum & adiectiuum conformant tribus accidentibus: sic in fæmenina & neutra tribus quadrabunt notis & momentis. De quo argumento vobis pueris typum graphicè effingo.

CAPVT SECVNDVM, DE TYPIS, *& prius in voce masculina.*

Singularitèr.

N. hic	*Magister*	*Doctus*
G. huius	*Magistri*	*Docti*
D. huic	*Magistro*	*Docto*
A. hunc	*Magistrum*	*Doctum*
V. ô	*Magister*	*Docte*
Ab. hoc	*Magistro*	*Docto*

Pluralitèr.

N. hi	*Magistri*	*Docti.*
G. horum	*Magistrorum*	*Doctorum,*

D. his	Magistris	Doctis.
A. hos	Magistros	Doctos.
V. ô	Magistri	Docti.
Ab. his	Magistris	Doctis.

Secũdus typus in voce foemenina. Singulariter.

N. hæc	Mulier	Pudica.
G. huius	Mulieris	Pudicæ.
D. huic	Mulieri	Pudicæ.
A. hanc	Mulierem	Pudicam
V. ô	Mulier	Pudica.
Ab hac	Muliere	Pudica.

Pluraliter.

N. hæ	Mulieres	Pudicæ.
G. harum	Mulierum	Pudicarum.
D. his	Mulieribus	Pudicis.
A. has	Mulieres	Pudicas.
V. ô	Mulieres	Pudicæ.
Ab his	Mulieribus	Pudicis.

Tertiꝰ typꝰ in voce neutra. Singulariter.

N.	hoc	Flagitium	Calamitosum.
G.	huius	Flagitij	Calamitosi.
D.	huic	Flagitio	Calamitoso.
A.	hoc	Flagitium	Calamitosum.
V.	ô	Flagitium	Calamitosum.
Ab.	hoc	Flatitio	Calamitoso.

Pluralitèr.

N.	hæc	Flagitia	Calamitosa.
G.	horum	Flagitiorum	Calamitosorum.
D.	his	Flagitijs	Calamitosis.
A.	hæc	Flagitia	Calamitosa.
V.	ô	Flagitia	Calamitosa.
Ab.	his	Flagitijs	Calamitosis.

DE CONFORMATIONE NOMINIS & verbi in vtroq; numero.
CAP. III.



OMEN & verbum in duobus accidentibus conformant, vt potè numero & persona: cõuenire in persona est, quod ambo sint eiusdem personę: disconuenire in persona contra. Iam cognoscimus nominis & verbi affinitatem: quia est nomen

men & verbum. Quid nomen, & verbum enuncleauit Antonius Nebrissensis primo libro Grammaticarum institutionum, ad quem confugiamus tã quàm miles ad arcem, Magister docet conuenientia est & complexio nominis & verbi : & conueniunt in omnibus. Magister doceo in numero tantum, & disconueniunt in persona: quod que iudicat Magister doces. Magister docemus disconueniunt in omnibus, & docetis. Magister vero docent copulantur in persona, & disconueniunt in numero.

TYPVS IN SECVNDA COMPLEtione nominis & verbi in vtroque numero.

CAP. IIII.

Ego	Magister	Docent.	Doceo.
Tu			Doces.
Ille			Docet.
Nos			Docemus.
Vos	Magistri	Docet.	Docetis.
Illi			Docent.

DE CONFORMATIONE TERTIA Relatiui & antecedentis CAP. V.




NTECEDENS & relatiuum quid sint idē Antonius patefecit: animi gratia. Relatiuum est rei ante dictę recordatiuum. Quadrant in tribus genere, numero, & persona. Quare errarunt scopum Grammatici, qui posteritati suam prodiderunt vim argumentatiuam, & artis inopiam: isti planè contendunt relatiuum & antecedens conuenire non posse in persona, quando quidem non possunt disconuenire. Hoc dogma mihi non arridet, & à peritioribus Grammaticis abhorret plurimum. Bellissima vis. Relatiuum & antecedens nunquàm disconueniunt in persona: ergô non possunt conuenire? consecutio longè abest à vero.

IN SINGVLARI NVMERO



AGISTER qui in omnibus conformant, & mulier quæ, & iumentum quod. Magister quæ consentiunt in numero & persona, & dissentiunt in genere: quod quidem in tertia voce intellectum volo. Magister cuius in genitiuo in prima voce in omnib⁹ quadrant, vt in nominatiui prima. Et in secunda & tertia (cuius) consentiūt in numero & persona, & dissentiunt in genere solum. Enim verò in datiuo & alijs casibus idem negotium agetur.



AGISTER qui affinitatem habent in genere & perſona,& diſſentiunt in numero.In duabus vocibus(quę,quę) conformabunt in perſona tantum , & diſconuenient in genere & numero. In genitiuo ſunt voces huiuſmodi , quorum, quarũ,quorum.Magiſter quorum de voce prima in genere & perſona habent complexionem,& in numero diſcrepant: reliquis duabus in perſona tantum quadrat,& genere & munero diſſentit. Quemadmodum in genitiuo plurali:ſine dubio ſic in cæteris caſibus habeto.

CAPVT SEXTVM DE TYPIS *huius concordantiæ, & primus in voce maſculina.*

Singulariter.

N. hic	*Magiſter*	*qui.*
G.	*Magiſtri*	*cuius.*
D.	*Magiſtro*	*cui.*
A.	*Magiſtrum*	*quem.*
V. ô	*Magiſter*	
Ab.	*Magiſtro*	*quo.*

N. hi	*Magiſtri*	*Qui.*
G.	*Magiſtrorum*	*Quorum.*
D.	*Magiſtris*	*Quibus.*
A.	*Magiſtros*	*Quos.*
V. ô	*Magiſtri*	
Ab.	*Magiſtris.*	*Quibus.*

Typus in voce foemenina.
Secundus Singulariter.

N. hæc	*Mulier*	*Quæ.*
G.	*Mulieris*	*Cuius.*
D.	*Mulieri*	*Cui.*
A.	*Mulierem*	*Quam.*
V. ô	*Mulier*	
Ab.	*Muliere*	*Qua.*

Pluralitèr.

N. hæ	*Mulieres*	*Quæ.*
G.	*Mulierum*	*Quarũ.*
D.	*Mulieribus*	*Quibus.*
A.	*Mulieres*	*Quas.*
V. ô	*Mulieres*	
Ab.	*Mulieribus*	*Quibus.*

Typus


Typus in voce neutra, tertius Singularitèr.

N.	*hoc*	*Iumentum*	*quod.*
G.		*Iumenti*	*cuius.*
D.		*Iumentum*	*cui.*
A.		*Iumento*	*quod.*
V.	*ô*	*Iumentum*	
Ab.		*Iumento*	*quo.*

Pluralitèr.

N.	*hæc*	*Iumenta*	*quæ.*
G.		*Iumentorum*	*quorũ.*
D.		*Iumentis*	*quibus.*
A.		*Iumenta*	*quæ.*
V.	*ô*	*Iumenta*	
Ab.		*Iumentis*	*quibus.*

Obſeruatiuncula perpolita


Imulandum non est relatiuum & antecedens in casu conuenire non posse nisi sit oratio figurata : ponitur namque Antiptôsis figura quando casum pro casu stabilimus. Aut verò certius cum relatiuum ponitur prius, & sequitur posterius antecedēs : vt quas ad me dedisti literas magnopere placuerunt. Et Terentius in Andria.

Populo, vt placerent, quas fecisset fabulas.

De complexionibus igitur familiarísimè, & earū typis ad Gerundensem iuuentutem, & pubem informandam hactenus disputatum est.

F. I N I S.

ORA



ORATIO DE RECTA SCRIPTVRA VOCABVLI VERGILIVS, AN VIRgilius: habita à Petro Box adoleſcente optimæ ſpei, & recitata in Academia, & bonarum literarum Emporio Gerundenſi coram Cōſulibus. 1590.



Arcinonenſis quidam ingenioſus puer hic in noſtro bonarum muſarum Emporio Gerundenſi (patres reipublicæ, Cancellarie optime, Rector vigilantiſsime, Religioſi veſtris titulis digniſsimi, Doctores egregij, Vniuerſa concio)voluit mecum in arenam deſcendere, & in certamen prodire: ita vt digladiatio noſtra de genuina ſcriptura huius vocabuli Vergilius per e,an per i.haberetur. At verò nō defuit alius iſtius Academiæ alumnus,qui iſtam diligentiam, qualemcūque vetuſtatis plenam non reſpueret ſolum: ſed ita reprehendebat acerbè,quaſi flagitium eſſe putaret, quod his otium oblecteremur,vel otio noſtro inuideamus. Dū in rebus adeo leuibus, & friuolis oleum & operam perderemus,quaſi tempus,rē

honoris causa nomino)qui de singulis quoque literis integra volumma composuerunt: vt de Asse in ponderibus,de musca,de ranis,de amentiæ laudibus. Cui nos sumus deuincti patribus magis, an matribus? Ac ne Cæsarem quidem veritum in hãc tenuitatem descendere,& Theophrastum Peripateticum,& Aristoteles Peripateticorum Magister in problematibus idem factitaret. Forte nobis veniam dari,nõ occupatissimis pueris, si quando inter altiora studia res istiusmodi similes pertractaremus paruas quidem has: sed quibus magna etiam iuuentur. Neque enim me repræhendi iure cogito, si hęc etiam sola consecter ad quæ, non vt ab otio ad studium:sed ab studio ad otium me refero:e in quę non tam feror ex professo,quam casu incido:ceu si litoribus obambulans excommodo,interim alicuius põderis lapillos colligam securissimè. Sed hoc tam nihil pręstat agere, quam longas ad ipsorum fortassè exemplum trahere oscitationes, aut quam omnino nil agere, nec prorsus agendo discamus malè agere. Virgilum profecto dicam magis per i.quod iam placere quibusdã per nos,etiam doctis incipit,quàm Vergilium per e,quod vulgus, & quidã semi latini obtinuerunt. Vt illam retineamus in causa sunt veterrima aliquot exemplaria,quę meæ opinioni patrosinãtur, quæ libens subiicerem, nisi viderem hos contumaces Barcinonensem & condiscipulum, & nescio eruginis pleõs,odio omni,fastidioque dignissimos, qui inter doctos fautores audent sibi copiam & cẽsuram literarum vendicare. At vero iam audiẽdus est Barcinonensis puer in Herculea ciuitate nutritus,videamus quid pater docuit:ego vero clauam

arri

arripiam,&(vt aiunt)ſuo cũ gladio iugulabo, quo perempto & debellato, quis deinceps audebit in puluerem deſcendere nullus. Quis cum Gerunden ſibus auditoribus nullus.Et ita poſt hæc cum puero Orthographiæ ſtudioſo repertus erit neno.iuuenis inquit Barcinonenſis Volſinis menſam quandam marmoream vetuſtiſsimis characteribus,peneque exoletis : vt Politianus Politiſsimè admonet intrra ædem Chriſtianæ virginis, quæ pro a- ra eſt Petri Apoſtoli,vbi per e. Vergilius legitur. O lepidum caput! bellam vim argumẽtatiuam hic promit vir argumentoſus. Et qui ſcribit duplici ſſ.cauſſa vocabulum,littus,& littera geminata tt. currunt planè:ſed extra viam omnes. Nõne vides, puer ingeniosè,craſſos architectos , qui nullũ genus ſcientiarum callebant,hos charateres geminatos ex ſua officina addidiſſe, & conſignaſſe. Et id Gerundæ in tẽplo maximo vetuſtiſsima ſunt quaſi ſepulcra literis pturbatis,mutatis,& elogia cõquiſita:pernego eſſe ſcribẽdum,vt imperiti, & illiterati mandarunt.Vndè hæc illis vſu venit prouincia?Vndè imperium tã ſpatioſum ? Neſcio quẽ locum quoque ex Pandectis excogitauit,& membritèr coram condiſcipulis tradidit , quæ publicè Florentiæ aſſeruantur libro ipſo Iuſtiniani principis Archetypo,non aliter quàm per i.id nomẽ ſcriptitatur.O terque,quaterque beati!Tam tener homis legibus inſudaſti?Te latent incunabula latinæ linguæ,& pandectarum librum citas,& bonas leges,in quibus eloquij romani candor continetur?

graduationibus, & per e conscribatur: tamen aliquis bonorum literarum impostor elementa conspurcauit contaminauit impressor, & nisi esset aliquis literatissimus omnia iacerēt in tenebris. In eo de ciuitate Dei dicebat ita inueniri, & in Senecæ Epistolarū libro: at librarius, vel bibliopola pessimè exarauit, quę ratio expedita astipulatur? Sicut à vere stellæ Virgiliæ dictæ: sic à vere potissimū hoc nomē crediderit inclinatum. Nego similitudinem: quasi in uere natus Poëta Virgilius: imo verò in extremo autumni tempore, si optimos autores volo consulere. Non negantur Virgiliū à virga dici: igitur non testimonium grauius, non alioqnin scribendum quàm per i. vbi ratio valentior exibetur? Vndè hæc notio ad posteros per hominū linguas venerit? volutauit? Cōclamabat puer ille: quia sic magister in Pomoerio eum docuerat. At hic apud Gerūdenses melius multo, famigeràtius, honorificèntius Academiam personamus. Et mihi credite, vt sit interuallum inter Virgilium, an Verginium huic finitimum: scribite quemadmodū pręcipio, haud vos pœnitebit vnquàm certo scio.

D I X I.

IDEM MARTINVS STEphanus ad puerum studiosum distichum sępè repetitum canit.

Coniuga, declina si vis verba latina:
Gerunda hic noster sæpè canendus erat.

F I N I S.

